Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26239
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Dubitat idem sanctus Aug. quod sacerdos dans in discretam penitentiam et re-
cipiens eam utrique puniet. Sed 6o non ita cautela ibi presbiteris
multum quod confessio debet esse communiter sacerdoti habenti claves que sunt
scientia discernendi et potestas ligandi atque solvendi. Item quod nota
quod sicut baptismus est sacramentum necessitatis ita et penitentia. Unde sicut
baptismus habet duplicem ministrum unum cui baptizare competit ex officio
sicut sacerdoti. Alium cui committitur dispensatio baptismi ratione
necessitatis sicut aliquando mulieri. Ita et minister penitentie duplex est. Unus
cui confessio fit ex officio sicut est sacerdos. Alius autem est qui
audiendo confessionem potest vicem sacerdotis in necessitate supplere ut est laycus
ergo a. Dicit in littera copia sacerdotis si desit. Dicunt tamen aliqui quod
cum deest copia presbiteri non oportet confiteri laycus sed sufficit soli deo
Ad 1o considerandum est quod quamvis sacerdotes claves habeant non tamen omnes
ligare possunt et solvere. Nam sacerdotes excommunicati suspensi et heretici
dampnati non possunt. Hoc non est proprie propter defectum ordinis scilicet quia non
habent maiorem scilicet auditos subditos qui afferuntur ab eis cum excom-
municantur. Tamen tales sacerdotes possunt baptizare quia hoc est sacramentum
necessitatis. Possunt etiam tales consecrare baptismum quia hoc est sacramentum
ordinis et hoc sibi adheret ordini. Ligare autem solvere adheret accidentaliter
homini. Ultimo nota quod nullus potest absolvere confitentem nisi sacerdos
proprius. Proprius autem sacerdos dicitur sex modis. Primo ipse pastor ecclesie.
2o dicitur aliquis proprius per determinationem superioris sicut vicarius pastoris
ecclesie. 3o aliquis dicitur proprius ecclesie propter privilegium quoddam indultum sicut
sunt predicatores et fratres minores. 4o per licentiam proprii sacerdotis
non tamen licentiatur nisi discretis honestis et notis. 5o aliquis dicitur proprius
sacerdos propter necessitatem. Nam in stante mortis periculo quilibet sacerdos
potest absolvere. 2o peregrini absolvuntur ab illis ad quos sunt missi.
6o et ultimo aliquis dicitur proprius sacerdos propter defectum sui sacerdotis scilicet quando
suus sacerdos ydiota est vel proditor confessionis vel solet confitentes
mulieres procurari tunc si aliquem non inveniat qui auctoritatem habeat
elligitur sibi sacerdos proprius non quilibet sed discretus et qui est notus
vel ex ordine vel ex persona. Et dicit frater petrus et innocentius etc.

Corporis ut maculas anime sic crimina paudes

Carnea periuria sunt crapula furta libido

Mente latet livor odium timor ira cupido